Clarissimo atque eruditissimo viro,
Gottlieb Cortio
S. D. P. Jac. Phil. D'Orville.

Cum tot me officiis, vir humanissime, praesentem exornasses, absentem non minus tibi obligasti, missis literis ad Viros spectatissimos Brockesium, & Wolfium, quibus me ad eorum amicitiam munires viam. Sed inprimis me affecit mirifice epistola tua mirum erga me amorem, et benevolentiam spirans singularem. cui eandem literis respondissem, atque una gratias egissem quam maximas pro omnibus, quibus me demeruisti, nisi continuae amicorum Hamburgensium quorum maximam partem tibi debeo, omne temporis arbitrium mihi eripuissent civilitates. iis tamen horulam hanc subfuratus fui, ut gratum apud te animum testarer, et simul declararem, mihi nihil antiquius fore, quam bene coeptam amicitiam ut porro excolamus et confirmemus.

Vellem te non adeo bonum vatem fuisse circa mores secundi bibliothecarii Guelferbytanensis; nam cum eam prima vice adiissem, et per aliquot horas in bibliotheca desedissem, mihi adeo ineptae eruditionis ostentatione obstrepuit, ut postero die illuc non reversus fuerim, pretiosissimo momento temporis excerpta quaedam supplerem. Gudianos codices plurimos egregios offendi, sed de illis opportuniore loco. A. Hartelius tamen, ut hoc addam, me quam humanissime in bibliothecam deduxerat, et morioni nostro imperaverat, ut omnia mihi paterent. at, puto, hinc morosior fuit factus, ne imperio alieno subesse videretur.

Hanoverae nihil admodum animadverſione dignum inveni. neque ex bonis ſcriptoribus ullus codex habetur, niſi Martialis, et ille ſaeculi decimi quinti.

In Joannea quaedam notavi, quae aliquando deſerarem deſcripta habere. ſed jam non vacat. Celebr. enim Fabricius mecum Langermanniana quaedam communicavit, quibus deſcribendis occupatus ſum ſatis.

De Pliniana collatione ne dubites. ut enim domum reverſus fuero, quod intra paucos dies futurum eſt, ea de cauſa Florentinos conveniam. Si quid in eo genere vel aliis in rebus opera mea tibi utilis eſſe poteſt, ne ſubterfugiat id liberrime mihi indicare.

Rumor, qui percrebuerat de morte Doct.mi La Croze, quod laetus accipies, non verus fuit. Rev. enim Wolfius his diebus ab ipſo literas accepit, in quibus ſe quidem morti fuiſſe vicinum ſcribit, at tamen illam evaſiſſe.

Amici tui Batavi a te, me interprete, ſalvebunt, meos qui Lipſiae ſunt, viciſſim multa ſalute impertire velis, rogo, inprimis Celebr.um Menkenium.

Vale, Vir amiciſſime, et eruditiſſime, et tui amantiſſimum ſimili affectu, ut facis, proſequaris.

Hamburgi Vto Nonarum Septembrium. MDCCXXVIII.